



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio VII. De causa extrinseca quæ est finis & exemplar.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

creati in agendo à causa prima, & si nihil sit in actu secundo sine concursu Dei, ita nec fieri potest quidquam sine concursu Dei, in actu primo; quia ab iisdem principiis pendet effectus in actu primo, & in actu secundo. Tum quia non est imaginabile esse aliquid verè causam, & tamen non se habere per modum antecedentis. Tum quia posito illo simultaneo concursu in actu primo parato, habente respectu effectus antecedentiam causalitatis, & includente aliquo modo operationem nostram, vel potest fieri & non fieri operatio, vel tantum potest fieri: si primum, quomodo salvatur determinatio? si secundum, quomodo salvatur libertas? Tum quia concursus ille simultaneus, includens nostram operationem, includit illam tanquam effectum. Ergo respectu illius non dicit concomitantiam, sed antecedentiam. Tum quia & esset ille concursus determinatus, ut ponitur, & non determinatus, quia illo posito posset adhuc homo agere & non agere, ut videre est apud ipsum, num. 98. Tum quia, ponamus ex una parte decretum aliquod & concursum determinatum, qui etiam sit per Scotistas necessitatus, ponamus ex alia parte decretum illorum &

concursum concomitantem, fiat parallela: Istud decretum necessitans, est suppositio antecedens, causalitate, positionem effectus, concursus etiam concomitans, antecedit causalitate, positionem effectus, decretum necessitans, non est in nostra potestate ponere vel non ponere, idem verum de decreto & concursu concomitanti decreto necessitanti posito, non potest sequi oppositum in sensu composito, idem convenit decreto concomitanti, hoc ipso enim non esset determinatus. Quid autem rogo habet se sola verbotenus concomitantia, ad salvandam libertatem? Neque valet quod adfert, num. 108. ubi dicit, quando mihi Deus dat concursum determinatum ad unum, quamvis non det concursum determinatum ad oppositum sufficit, quod habeatur concursus in actu primo, hoc est voluntas Dei, parata dare concursum, nam si non sufficit ad libertatem, dare concursum necessitantem, & habere voluntatem paratam servandæ libertatis, nec in præsentia etiam sufficeret, & sicut non sufficit Deum esse paratum ad dandum auxilium sufficiens, sed est necesse illud offerre, ita & in præsentia.

DISPUTATIO VII.

De Causa extrinseca, quæ est Finis & Exemplar.

PAUCA hinc veniunt Scholasticè discutienda, hoc, quod difficultatem habere posset, id est: an bruta agant propter finem propriè? negatum hoc est in Materia de Angelis Dis. 5. n. 85. alia quæ sunt magis propria huius loci, interim decurrenda sunt.

QUÆSTIO I.

Quid Finis? estne Causa realis? quæ ejus Causalitas?

ASSERO primò. Finem ex Aristotele 2. Phys. textu 28. esse id, *cujus gratia aliquid fit*, ex quo rursus causam finalem secundum id, quod dicit 1. Ethic. c. 2. rectè definieris? *Est id, quod propter se amatur, & propter quod cetera volumus*; Reflexendo autem ad terminos, quibus causa in communi definita est, causam finalem definieris;

Quod sit principium determinans ad existentiam gratiæ sui, vel tanquam propter quod. Explicari hoc solet, sic intellectus assentitur quibusdam principiis, quæ de se evidentia sunt, & quibusdam non nisi propter connexionem cum illis, sic etiam voluntas quædam amat objecta propter se, & alia propter connexionem cum illis, & quemadmodum quibus intellectus tanquam immediatis assentitur, vocanturque principia, quibus autem assentitur propter connexionem, vocantur conclusiones, sic quæ appetit voluntas propter bonitatem immediatè in illis inclusam, vocantur finis, quæ autem amantur propter connexionem cum illo bono, vocantur media. Demum sicut principia communicant suis connexis evidentiam, ita finis communicat mediis bonitatem & amabilitatem. Explicari hoc ipsum sic aliter potest.

De ratione finis est ultra se nihil in illo genere, vel ordine habere; & ita est finis linearis, ultra quod

quod non extenditur linea, beatitudoque nostra objectiva est Deus, quia illo possessio, nihil ultra appetit homo. Quod ipsum fundatur in hoc, quia si ultra finem aliquid esset, & competere, ut supponitur illi fini ratio finis, & non competere; competere quidem, ut supponitur, non competere autem, quia non finiret; siquidem aliud daretur finitivum. Quia autem in bonis sunt aliqua, quibus possessis in illo genere, nihil ultra appetit in illo genere voluntas, fit, ut dentur aliqua bona, quæ finis sint, & dici possint; & ita v.g. bonum, quod adipisci vult ægrotus quæ talis, est sanitas, quæ possessa, ægrotus in illo genere nihil plus appetit; hinc fit, ut sanitas, sit finis bonumque in suo genere finale, & sicut posita Conclusionem ex præmissis, concluditur motus in noscendo objecto, prout contento in Conclusionem, estque illa veritas, ultra quam habitam in objecto Conclusionis, non ulterius arguendo procedit intellectus, sequensque arguitio quæcumque non hoc objectum huius Conclusionis, sed aliud inferet, totaque illius completio, in priori concluditur, & terminabitur; hinc Conclusio ex vi etiam nominis, est finis motus intentionalis intellectivi; ita quando non ulterius in illo genere appetendi movet sese voluntas, illud bonum dicitur voluntatis finis. Quia autem nullus est finis ad quem processu non perveniatur, & ita est finis itineris, ad quem his leucis, stadiis &c. pervenitur, finis motus intellectualis est Conclusio, ad quam mediis præmissis, devenitur; ita etiam & bonum, quod possessio finitur appetitus in illo genere, habet viam suam & processum, hicque non alius est, quam ipsa media, per quæ acquiritur possessio boni, satiativi in genere illo appetitus, finitivique motus voluntatis.

ASSERO Secundò. *Finem esse Causam realem.*

PROBAT id, auctoritas Aristot. 2. Physic. tex. 70. ubi inter causas sine addito, numerat etiam finalem. Posset tamen responderi ad hanc auctoritatem, quod illo loco nihil agat Aristot. de Causa rigorosa, vel non rigorosa, sicut in simili de Causis intrinsicis, dictum est.

ACCEDENDUM ad rationem, quæ in hoc fundatur, quod nihil desit, quominus finis dicatur vera Causa realis. Quia quamvis causa non existat in se, ut nec finis movens existit, sed petit poni & existere, sufficit, quod existat in aliquo sui, hoc est in apprehensione amoreque suæ bonitatis, quæ duo apprehensio & amor, sunt quasi semen finis. Rursus habet veram Causalitatem, stantem in tractione voluntatis, de qua infra, appellaturque hæc tractio motio metaphorica, non secundum esse, quia in rebus non sunt Metaphoræ, sed secundum dici, & sicut cum dico, pratum ridet, non sequitur, quod floreat Metaphoricè, sic nec sequitur ex motione Metaphorica, quod verè non alliciat.

DIFFICILIUS est ostendere, quomodo sit Cau-

sa realis, cum causet seipsum? nam communiter dicitur, quod finis positus in intentione, causet seipsum in executione.

EXPLICAT id Primò Recentior Suar: Quod finis non causet seipsum & respectu sui non sit causa vera, sed quod tamen causet verè amorem sui, à quo habet distinctionem realem, & quamvis hic amor causet postea positionem finis, id non obest; quia axioma illud, quod est causa causæ, est causa causati, procedit in causis ejusdem generis.

NON SATISFACIT hæc explicatio. Tum quia non est ratio, cur illud axioma teneat in causis ejusdem generis, & non teneat in causis diversi generis? Tum quia debet respectu illius poni causalitas finis, respectu cuius habet rationem finis, jam autem respectu amoris præcisè non habetur ratio finis, cum æquè media ipsa, bonumque non consequibile, amorem mereri possit. Tum quia omne objectum verum cognitum deberet esse finis, est enim amabile, adeoque causans sui amorem, neque tamen ex eo omne objectum, est finis.

EXPLICARI potest Secundò. Causam finalem esse causam physicam, prout physicum opponitur ficto, non verò, prout intentionalis; hinc consequenter dicitur, quod finis, prout est intentionaliter acceptus, sit quid distinctum, à seipso existenti in executione. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia concedo quidem cognitionem, à fine, esse distinctam realiter, sed nego objectum illius cognitionis, & ipsum in executione positum, esse distinctum realiter, cum sit eadem entitas, sed solis statibus diversa. Tum quia Ens existens, ens in potentia, ens possibile, est idem realiter, totaque diversitas, est non in Ente, sed in connotatis illius; Ergo nec finis prout in intentione, à seipso, prout in executione, distinguitur realiter. Tum quia Universale per præcisiones objectivas, vel formales, fabricatum, non est distinctum realiter à singularibus; hinc si distingueretur ab illis, nec prædicari posset de illis, sed falsificarentur propositiones. Ergo nec distinguitur realiter finis quæ talis in intentione, à seipso, prout in executione.

EXPLICARI potest Tertiò. Causam finalem esse causam physicam, sed cum addito intentionalem, consequenter non debere habere effectum distinctum realiter, eo quod id poscat natura Causæ intentionalis, & sicut idem producat se secundo, est Causa vera physica, & tamen non producit effectum distinctum realiter, sic & hæc. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia si dicas hanc esse naturam Causæ intentionalis, non habere à se distinctum effectum realiter, dicam etiam esse naturam causæ intentionalis, ut non sit vera causa realis, idque ob defectum distinctionis ab effectu. Tum quia quamvis salvetur ratio causæ realis sine distinctione reali ab effectu in

† s

pro-

productis & causatis, secundò non tamen in causatis & causantibus primò, aliàs subverterentur & Philosophica & Theologica principia; ostende ergo distinctum effectum realiter, quem causa physica finalis producit primò. Tum quia non poterit ostendi, quid simile operetur finis ei, dum idem reproducit suam Entitatem, quod tamen salvet rationem causæ realis, sed quicquid sit de his principiis, vel exinde hæc explicatio non satisfacit, quia veræ causæ realis si nihil obsit, debet ostendi effectus verus, realis, & distinctus, idque ex proportionem, ad alias causas.

EXPLICARI potest quartò. Inter finem in intentione existentem, & inter finem in executione positum, esse distinctionem realem; quia bonitas illa, quæ erat apprehensa, non est illa eadem, quæ in executione ponitur, sed est distincta numero, ea scilicet, quam Deus ut existat determinat, cum alia numero ab efficiendi produci poterit. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia videtur oppositum esse in communi apprehensione, vulgariter enim assumitur, quòd finis, causet seipsum in executione. Tum quia arbitrium videtur aligare Deum, ne determinet hunc individuum finem pro executione, qui forte in individuo erat in intentione. Tum quia finis potest esse huius in individuo, & executio huius in individuo, casu v.g. quo pro fine sit pomum hoc individuum appetitum.

EXPLICARI tandem potest quintò. Finem esse causam realem respectu mediorum, ad quæ movet, à quibus distinguitur realiter, ex quibus Mediis producit finis.

ASSERO tertio. *Causalitatem causæ finalis esse, ut inquit Philosophi post Aristotelem, motionem Metaphoricam.* Hoc dictum puto fundatur in modo agendi voluntatis, quæ non sistit si bi objectum, sed trahitur ab objecto, adeoque ad illud movetur appetendo; hinc causalitas illius appellatur motio Metaphorica, sed quid tandem sub hoc nomine motio metaphorica intelligendum?

EXPLICANT primò aliqui. Quòd causalitas finis sit amor finis. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia datur amor respectu Dei tanquam finis, neque tamen amor, dicitur causalitas respectu Dei. Tum quia potest esse amor finis, isque adhuc efficax, & tamen saltem divinitus impediri, ne ponatur in executione finis. Ergo amor non est causalitas finis, quia posita causalitate, impossibile est non sequi effectum, qui debet esse finis in executione. Tum quia causalitas debet esse quid receptum à causato; jam autem amor, non recipitur in effectum, quem causat.

EXPLICANT secundò alii. Causalitatem finis esse ipsum bonum, prout connotat dependentiam à se effectus. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Quia hic agitur de causalitate, ut ita dicam, causata, non de causalitate causante, seu tenente se respectu causæ. Deinde & de hoc ipso quaeritur, in quo sit ista dependentia.

EXPLICANT tertio alii. Cum utroque Suar. & aliis non paucis, quòd causalitas finis, sit ipsa actio efficientis, prout respicit id, propter quod fit. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Quia si nihil obsit diversis causis, tribuendæ sunt diversæ causalitates, magis enim proportionatum est, ut id, cui competit esse causam diversam ut Quod, sit etiam causa ut Quo, seu habens causalitatem diversam. Denique causalitas efficientis, est illa ipsa, effectus suo modo causæ finalis, quomodo ergo erit ejus causalitas ejus causalitas?

COMMODIUS diceretur in re loquendo, non aliud esse causalitatem finis, quam ipsum effectum, prout dependentem ab hoc, vel illo fine. Sic v.g. deambulatio, si fiat dependenter ab intentione, quæ est sanitas. Causalitas in deambulationem erit dependentia intentionalis, deambulationis, ab hac intentione, quæ est sanitas, sicque de reliquis finibus.

RATIO, quia in nullo argui potest insufficiencie hæc explicatio. Breviter causalitas finis, est objectivum propter quod operor, seu objectivum responsivum. *Quare operaris*

QUÆSTIO II.

D reliquis Causam Finalem concernentibus.

Quoad effectus Causæ finalis.

ASSERO I. *Actus antecedentes positionem mediorum, qualis est cognitio finis, simplex complacentia, amor, intentio non sunt effectus proprii dicti, Causæ finalis.*

RATIO prioris. Quia si cognitio finis esset effectus finis, ante cognitionem finis, jam deberet esse in actu primo causæ, sufficienter constitutus & completus finis: ante cognitionem autem non est sufficienter completus; quia finis non cognitus in ordine movendi, seu finalisandi, ita se habet, ac si non esset; deberet autem jam esse completus finis, in actu primo, quia omnis causa, supponitur completa ante suum effectum. Simplex item amor & intentio finis, ut censet Vázquez & Fonseca contra utrumque Suar. non est effectus finis, quia ratio attingendi finem non est propriè effectus finis; jam autem illi actus sunt ratio attingendi finem. Sed sunt illi actus propter bonitatem bonitatis finis, hoc est rationes attingentes bonitatem ipsius, non verò alio modo, fiuntque propter finem, tanquam propter objectum, hinc etiam impropriè dicitur desiderare aliquis pro-

propter finem, sed desiderat finem. Ergo desiderium illud non est effectus finis, cum non fiat propter finem. Denique Aristot. 10. Metaph. tex. 30. censet, proprios effectus finis posse causare finem in genere causæ efficientis, desiderium autem y.g. sanitatis non causat propriè sanitatem, sed medicina, idemque dicendum, de amore efficaci.

ASSERO 2. *Actus immediatè versantes circa media, ut est Electio, inquisitio mediorum, non est propriè effectus finis.*

RATIO, quia sunt potius ratio amandi media, & propriè non sunt ratio ponendi finem in esse reali, per accidens tamen possunt esse effectus finis, si adhibeantur ut media ad consecutionem finis, propriè itaque actus hi causantur ab amore finis in genere causæ formalis extrinsecæ. Multo autem minus, actus, consequentes possessionem finis erunt propriè propter finem; quia vel sunt propriè propter intentionem finis, & hoc non, quia non est jam intentio finis posito fine, sublataque etiam omni intentione finis, sequitur delectatio de præsentis v.g. sanitate; vel sunt propter finem jam in executione positum, & hoc, non est, esse effectum propriè finis; quia hi actus adveniunt per accidens, nec supponunt finem in intentione, cum tamen hic non nisi intentionaliter causet. Adveniunt autem per accidens, quia quamvis Deus subtraheret concursum à delectatione, obtentionem finis consequente, haberet jam totum finis quod intendit, intendit enim positionem sui, quæ supponitur.

ASSERO 3. *Effectum proprium finis esse media.*

RATIO, quia ut dictum supra, respectum mediorum causa finalis est verè causa, ergo & media sunt verè effectus illius, hæc enim se ad convertentiam habent. Videtur hoc idem docere Aristot. 10. Metaph. tex. 19. ubi dicit, ea quæ fiunt propter finem, esse inter media inter finem, etiam movens, seu agens se movens ad consecutionem finis, ex quo loco sic arguitur. Id quod fit propter finem est effectus finis, pro eodem enim hæc sumuntur, sed media, ut inquit Aristoteles, sunt ea, quæ fiunt propter finem. Ergo &c.

Quoad cognitionem requisitam, ut agat causa Finalis.

ASSERO 1. *Sine prævia cognitione non finalisare finem.*

RATIO, quia finis non cognitus, ut dixi supra, ita se habet, ac si non esset, quia sicut existentia realis, dat esse reale physicum, ita intentionalis existentia, ratione scilicet cognitionis, dat esse intentionale, hoc autem requiritur, ut causet finis; cum enim causet intentionaliter, debet etiam existere intentionaliter.

ASSERO 2. *Non esse quid impertinens ad rationem movendi finem propriam, ipsam cognitionem.* Sequitur assertum ex priori, & ratio præter superius adlatam est. Quia idem bonum propter varietatem cognitionis aliter & aliter causatur, amatur enim intensius si penitus noscatur, & idem bonum in quantum præsentatur præsens, producit amorem, in quantum præsentatur absens, desiderium, quæ diversitas non in entitatem boni, hæc enim constanter eadem est, sed in diversitatem representationis rejici debet.

Cæterum ipsa cognitio, non est ratio formalis motiva, quia non cognitio amatur, sed objectum, & finis cognitione representatus, ita nihilominus, ut non sola bonitas ametur, sed bonitas ut cognita; ad eum modum, quò præmissæ causant Conclusionem, sed ut cognita. Deinde finis ratio in eo consistit, quòd moveat, bonitas autem ut cognita movet. Et certè bonum secundum se spectatum, habet se ac si non esset, & quamvis hæc cognitio habeat se non nisi per modum requisiti, exprimitur tamen ad ostendendum, in quo statu posita, causet hæc bonitas.

ASSERO III. *Possibile esse, ut licet non præcedat cognitio finis, modo aliquid defectum illius suppleat v.g. si non determinet Deus ad ponendam volitionem finis, ut inquam incognitus finis ametur.* Est assertum Ovied, & Conimb: contra Vasq. & Arriag.

RATIO Prima asserti, quia id non implicat contradictionem.

RATIO Secunda, Potest elevari voluntas ad producendam gratiam. Ergo & amorem sine cognitione prævia, nec est ratio cur illud requisitum cognitionis suppleri non possit saltem in genere Causæ efficientis?

RATIO Tertia ex Oviedo. Potest Deus infundere actum amoris voluntati, respectu cuius nulla in voluntate præcessit cognitio, si illum enim potest ponere in lapide, multo magis in voluntate. Ergo & potest determinare voluntatem, ut eliciat actum, respectu cuius, nulla præcessit cognitio. Videantur dicta in Animast: An voluntas ferri possit in incognitum?

DICES I. Cum Arriag. Volitio fertur ad bonum secundum esse apprehensum, illic non est bonum apprehensum. Ergo.

RESPONDETUR, vera esse hæc de volitione naturaliter se habente in suo modo agendi, non autem de volitione supernaturaliter in modo suo agendi, se habente. Potest etiam retineri communis responsio, esse illud apprehensum quod apprehensum, habere se per modum conditionis, non autem per modum rationis formalis objectivæ. Non repugnat autem conditiones sine quibus Non, esse supplebiles saltem aliquas, cur non hæc?

DICES 2. Quamvis existentia sit sola conditio agendi, tamen non potest Deus elevare aliquid, quod non existit, ad causandum. Ergo etiam

etiam quamvis cognitio sit sola conditio, non poterit elevari voluntas ad amandum sine cognitione.

RESPONDETUR. Non assumi à nobis omnem conditionem esse supplebilem, sed aliquas, eas scilicet, quas suppleri non repugnat, repugnat autem suppleri existentiam, quæ repugnantia non ostenditur, ne suppleri possit cognitio.

DICES 3. Non potest appetitus naturalis ferri ad rem non habentem bonitatem. Ergo nec ad rem incognitam.

RESPONDETUR. Negan. conseq. quia malum non habet, per quid compleat voluntatem, ut amorem potius eliciat, ostenditur autem determinativum in presenti. Adde non implicare, ut malum aliquod assumat Deus & elevet, ut suppleat vices in complenda voluntate, ut exire possit ad amorem boni alicujus objecti.

DICES 4. Cum recentiori Suar. Voluntas est potentia cæca. Ergo non potest tendere in incognitum.

RESPONDETUR. Materialiter non esse accipiendum visum voluntatis, sed accipiendum hoc sensu, quod scilicet nisi ponatur notitia, tanquam conditio, non sit futura completa voluntas, ad actum suum producendum: sed non sequitur, aliunde illam compleri non posse, itaque in hoc proportio, quod sicut cæcus non potest se determinare quod ire debeat, ita nec voluntas se determinat, si nesciat quid amare debeat, si ergo aliunde determinetur, hoc ipso cæcitas illius tollitur.

DICES 5. Cum Hurtad. Volitio per se dependet à cognitione. Ergo non potest, non dependere ab illa. Antecedens probatur, quia non dependet media alia entitate.

RESPONDETUR. Volitionem per se pendere à cognitione, tanquam à conditione, hinc illa mutata, poterit adhuc in sua entitate stare, sic v. g. in principiis nostris, non per aliquid superadditum pendet effectus ab approximatione, & tamen approximatione non data, fieri potest effectus, sola ergo dependentia inquam tanquam à ratione formali, suppleri non potest.

ADDE, dici posse, tali amore elicitio, denominandum subiectum amans, quia adhuc ab intrinseco elicitur, nec apparet quomodo cognitio illa antecedenter se habens, conferat vim denominandi actionibus vitalibus; & sicut quamvis naturaliter non eliciat voluntas actus supernaturales, elevata tamen vitaliter illos elicit, ita & quamvis naturaliter voluntas non eliciat actus volendi sine cognitione, posita suppletionem illius defectus, vitaliter illos eliciet, adeoque cum vi denominandi, elicientem.

Quoad subiecta quibus competit agere propter finem?

ASSERO 1. Bruta non agere propriè propter finem.

Fusiushæc explicantur loco citato ad primam secundæ.

RATIO Interim asserti sit, quia propriè agentia propter finem, sunt agentia, quæ attendunt ad connexionem mediorum cum fine, ad quam non attendunt bruta. Operantur tamen impropriè propter finem, quia agunt propter bonum, quod cognoscunt, & ad quod habent instinctum, quem instinctum Aristoteles imitationem rationis, & brutalem quandam potentiam, con- similem rationali appellat, qui ipse instinctus fundatur supra complexionem certam animalis & temperamentum primarum qualitatium, habitualiter autem est æstimatoria animalis ex tali complexione determinans ad sic vel ita operandum, actualiter autem ille instinctus est actus phantasiæ, impellens, ad sic vel ita operandum.

ASSERO 2. Deum ad intra & quoad operationes immanentes non agere propter finem.

RATIO, actus ad intra sunt ipse Deus, qui à nullo fine dependet.

ASSERO 3. Operationes Divinas ad extra esse propter finem. Ad extra enim sumptæ non sunt ipse Deus, & cum faciat illas propter se, bene illæ respicere Deum poterunt tanquam finem.

Quoad divisionem finis, quem dividit Arist. secundi Phisic. tex. 57. in finem Cujus, & in finem Cui hoc innuendum erit, quod nomine finis Cujus, supple gratia, quem etiam Aristotel. alibi appellat finem Qui, veniat ipsum bonum, quod appetitur, finis autem Cui, est subiectum cui illa bonitas appetitur. Quo supposito

ASSERO 1. Ex fine Qui, & sine Cui coalescere perfectam rationem finis.

RATIO. Quia bonum appetibile, & hoc erit finis Cui, debet in se esse bonum in se, & hoc erit finis Qui vel Cujus. Unde etiam ad sanitatem & amor sanitatis, & amor subiecti movet.

DICES 1. Finis est id, in quo sistit operans. Sed operans sistit in fine Cujus seu Qui. Ergo ille solus, est finis.

RESPONDETUR. Operans sistit in fine Qui, tanquam ratione adæquata, nego, vult enim indubie illum sibi vel alteri, sistit in fine Qui, tanquam in bono, quod appetitur; neque enim in ratione ejus, quod appetit, aliud hic & nunc habet, concedo, sed non sistit, quasi illud solum motum illius sistat, defacto enim vult illud sibi, neque enim à sitiente tantum amatur aqua, sed proceditur ad ipsum sitientem, ut illum refrigeret.

DICES 2. Finis Qui amatur propter finem Cui. Ergo potius est medium, quam finis.

RESPONDETUR. Finem Qui amari propter finem Cui, tanquam propter subiectum, non vero amari propter finem Cui, tanquam propter rationem amandi, quia sanitas, amabilis est, propter suam intrinsecam bonitatem.

ASSER

ASSERO 2. *Finem Cujus, seu Qui interdum esse nobiliorem entitativè interdum ignobiliorum.*

RATIO. Quia sanitas est quid ignobilius animali, utpotè ejus accidens, si autem homini optem beatitudinem, Finis Qui, erit dignior homine.

ASSERO 3. *Amore intenso ordinariè magis amari finem Cui, sed amore appetitativo non semper.*

RATIO, quia finis, Cui magis intimè perspectus magis allicit, & ita cum volo mihi Deum clarè visum, fieri potest, ut intensius me in hoc amem, quàm Deum, licet illum magis appetiam.

QUÆSTIO III.

De Causa Exemplari.

ASSERO I. *Exemplar ex S. Augustino & S. Thom. esse formam in mente existentem, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem. Dicitur forma, quia sicut per formam constituitur agens potens agere, ita & per exemplar constituitur potens agere agens idæale, verèque per illam figuratur & formatur res agenda in mente. Dicitur in mente existens, ad distinctionem ab exemplari externo v.g. pictura, quam imitatur pictor, ad quod exemplar si velles præsentem definitionem extendere, demenda esset particula ly in mente existens, dicitur ex intentione agentis, ut excludantur ea, quæ casu fiunt, dicitur agentis determinantis sibi finem, ut excludantur bruta, quæ non nisi determinata agunt.*

ASSERO 2. *Exemplar consistere in conceptu obiectivo:* negat Suar. Fonsec. Rub. Valent. & alii. Sed nobiscum est Vasquez item Ariag. & recentior Suar.

RATIO. Tum quia Arist. 7. Metaph. tex. 28. & 30. censet, exemplar esse essentiam rei, prout est in anima, dicitque domum fieri ex domo, subjice præcognita & idæali. Tum quia exemplar, est id, ad quod agens respiciens, operatur, qui non respicit suum conceptum formalem, sed obiectivum. Tum quia universale non consistit in conceptu formali, ut dictum in Logicis. Ergò nec exemplar, par enim est utriusque ratio. Et certè conceptus formalis & esset exemplar, ut supponitur & non esset, quia exemplar id est, quod ea prædicata, quæ res in statu physico habere debet, intentionaliter repræsentat, ut hæc intentionalia in statum physicum reducuntur, jam autem non prædicata conceptus formalis, sed obiectivi in statum physicum reducuntur.

DICES I. Exemplar divinum consistit in conceptu formali, non obiectivo; Ergò & idæa Creatæ. Antec. probatur, quia conceptus ob-

jectivus, est ipsa Creatura faciendæ, Deus autem in operando non dependet à Creaturis.

RESPONDET Primò recentior Suar: quòd exemplar divinum non consistat in Creaturis, tanquam in conceptu obiectivo, sed in essentia Divina, prout se præbet imitabilem. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT, quia & non consisteret per illum exemplar in Creaturis, tanquam in conceptu obiectivo, hæc enim est illius positio, & consisteret ut Probatur: quia qui dicunt etiam exemplar Divinum consistere in conceptu obiectivo, nolunt illum esse extra Deum, idæa enim prout hic de illis necessario sunt interna, consequenter sunt ipsæ Creaturæ, prout repræsentatæ per essentiam Divinam. Sed pro sua responsione.

INSTAT I. Suar: recentior, auctoritate Scripturæ; faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ubi proponitur essentia Divina, prout exemplar hominis faciendi.

RESPONDETUR. Per interpretes non loquitur illic Deus de idæa hominis, sed de similitudine in proportionem ad suam naturam, immò & ad personalitates per tres potentias animæ, sed posito etiam, quòd hic agatur de Causa idæali, inde non sequitur illam non consistere in conceptu obiectivo, hoc est in ipsis Creaturis prout repræsentatis per essentiam Divinam.

INSTAT 2. Effectus imitatur aliquid à se diversum, cui sit similis per imitationem, cum tamen Deus eundem numero effectum cognoscat, eundem numero repræsentet, at verò inter Deum & seipsum non datur similitudo, sed identitas.

RESPONDETUR. Effectum imitari aliquid à se diversum statu, sed non prædicatis; & licet non detur similitudo physica relativa inter idem & seipsum, datur tamen similitudo non relativa, nam similis est Filius Dei in natura Patri, licet sit eadem utriusque natura, sed hic etiam est similitudo specialis, nempe intentionalis, in hoc stans, ut ea prædicata, quæ obiectum in re continet, imagine intentionalis & spiritali repræsententur.

INSTAT 3. Idem ex Auc: Augustini negantis, Deum aliquid extra se intuitum, ut mundum fabricaret.

RESPONDETUR. Hic locus solum probat, quòd ille conceptus obiectivus non fuerit, nisi in mente Divina existens, quod nemo negaverit. *Hinc aliter?*

RESPONDETUR II. Ad primam objectionem negatur Antecedens, probatio illius distinguitur, Conceptus obiectivus creaturæ faciendæ, est ipsa Creatura quomodocumque spectata, nego, est ipsa Creatura, prout repræsentata per essentiam Divinam, concedo, pendebitque Deus à Creaturis, tanquam à termino connexo, non autem tanquam à Causa, à termino inquam

connexo, quia si non essent possibiles, non posset Deus illarum habere idæam tanquam possibilem.

Sed debetne dici, quod exemplar creaturarum sint ipsæ creaturæ prout representatæ ab essentia Divina, an quod exemplar sit ipsa essentia Divina representans creaturas? prior modus videtur præferendus. Tum quia magis ostenditur, quomodo prædicata intentionaliter representata, sint in statum physicum reducta, quod tamen spectat ad idæam? Tum quia isto modo significandi magis exprimitur, quia in Recto, ipsa res idæata nec quidquam illam ita exprimi impedit. Tum quia in creatis conceptus objectivus, est ipsa res prout representata. Ergo & in præsentī idem dicendum.

DICES 2. Censet Aristot. artificem producere effectum similem suæ idææ. Sed res faciendæ non est similis conceptui objectivo, sed formali. Omnis enim res est similis suæ imagini, conceptus verò formalis, est imago rei.

RESPONDETUR. Rem faciendam similem esse conceptui objectivo non quomodocunque sed prout representatæ.

DICES 3. Exemplar consistit in eo, quod dici potest agere, sed conceptus formalis dirigit, quia dirigere est proprium dictaminis, dictamen autem spectat ad conceptum formalem.

RESPONDETUR. Exemplar consistere in eo, quod dirigit per modum imaginis, & per modum similitudinis, adeoque quod respicit etiam ipsum dictamen, per modum objecti, ita ut exemplar dirigat radicaliter & mediatè, immediatè autem dictamen quod dictat, ut res similis fiat exemplari, quod ipsum dictamen, est conceptus formalis.

ASSERO 3. Exemplar esse veram causam realem respectu mediorum. Consultantur dicta de fine.

ADDO, non esse necessarium, ut aliud numero representetur per exemplar, & aliud numero fiat. Supponamus enim quod sit possibilis una domus non nisi, infundat ejus exemplar Deus homini, hoc exemplar necessario eandem numero domum representabit, cum non nisi una numero sit possibilis. Nihilominus non est necesse, ut eadem sit numero idæa, quia dantur quædam, quasi universales idææ, ut postea ex illa v.g. non nisi solo numero distinctæ domus, ædificentur.

APPENDIX

De Natura & Arte.

POST tractationem de causis & principiis, dicendum aliquid de Natura & Arte, nam etiam hæc sunt suo modo causa & Principium.

Quod attinet ad Naturam.

ASSERO 1. Ex 2. Phys. Tex. 3. colligitur Naturam definitivè, esse Principium & causam movendi & quiescendi, in quo est primum per se & non secundum accidens. Dicitur Natura Principium & Causa, ut excludatur Privatio, quæ non est Natura, eique solum ratio Principii competit, sed plenius de hoc infra; dicitur motus & quietis, per motum intelligendo operationes & per quietem intelligendo non quietem negativam, hoc est cessationem à motu, sed quietem positivam, hoc est possessionem formæ & termini, ad quem fit motus, ly motus & quietis potest benè accipi copulativè, & non tantum disjunctivè; dicique potest cælus & moveri & quiescere, non quidem negativè, hoc est cessando in motu, sed positivè, quia semper habent possessionem boni quæsiti, hoc est Maximam suarum partium à centro distantiam. Vide de hoc Discursum Aristot. 8. Phys. tex. 76. quamquam per ly quietis, intelligi potest possessio, quam habet cælus suæ quantitatis, lucis, influxus in sublunaria, &c. Rursus ly motus, non pro solo motu locali præcipuè actuali accipi debet, certè enim terra, est naturam habens, & tamen non movetur localiter, præcipuè in sententia negante terræ motum, etiam trepidationis. Ly ergo motus accipi debet pro motibus alterationis, quos habet terra, dum se in pristinum statum reducit, & universalius adhuc attendendo etiam ad divina debet sumi pro operationibus. Dicitur Principium per se primum, ut ostendatur, naturam debere esse primò essentialem composito, quod est unum substantiale per se, hinc qualitates non sunt Naturæ, quia non constituunt compositum substantiale, quod sit unum per se. Quod si velis Ly primò per se referri in motum & quietem, sensus definitionis erit, quod natura debeat esse primum principium motus & quietis, ita, ut Naturæ non detur aliud prius radicale principium motus, & ita accidentia, licet sint immediata principia motum, cum non sint principia prima & radicalia, non sunt naturæ. Ly autem & non secundum accidens, ostendit naturam debere esse principium motus & quietis, sine auxilio extrinseco, quale auxilium interdum conjungitur, ut cum aqua hyeme reducit se ad pristinum frigus.

DICES, quamvis aliæ particulæ definitionis adlatæ non superfluant, idque ob explicationes adlatas, immeritò tamen ponitur Ly Principium & causa, cum ratio Principii sufficienter in causa contineatur distincturaque sit sufficienter naturam à privatione.

RESPONDETUR. Imprimis poni utramque particulam, ut ostendatur non omne, quod est causa motus, esse naturam, sed quod est causa per modum principii primi, seu quod illa causa in illo genere non detur prius.

Neque

Neque valet si dicas, quod sequens particula primum & per se id denotet, quia Ly primum est relativum ad principium, adeoque eandem constituens orationem.

RESPONDETUR. Deinde particulam Et, poni distinctivè, hoc est pro Ly vel, ut etiam ab ipso ponitur secundi de Anim. tex. 24. Cujus etiam ratio ex Theologia hæc adferri potest, quia si ponatur nonnisi ly causa in definitione Naturæ, non poterit dici Deus habere Naturam, quia in illo nihil est, quod se habeat per modum causæ, in ordine ad hæc, quæ sunt ab intra. Quod si etiam ponatur ly principium solum, non excluderetur privatio à ratione Naturæ, ita ut in creatis, sit Natura, Causa, in Divinis, Principium motus, ad quæ licet Aristot. non attenderit, sufficit, quod attendat Christiana Theologia, defendatque textum Aristot. quantumvis commodius foret non per disjunctionem definitionem ponere, si suppetere terminus proprius utrique illi formalitati proximè communis.

RESPONDET tertio Ovied. Superfluere particulam Principium, quod est deferere auctoritatem Aristotelis. Pontius autem propter elegantiam dicit id positum, sed nulla est elegantia, quæ vitiat definitionem.

ASSERO 2. *Materiam etiam prout distinctam à forma esse Naturam, formas item materiales, Compositum tamen non esse naturam, sed naturale.*

RATIO primæ partis est Auctoritas Aristotelis 2. Physic. tex. 17. & 20. præcipuè quia etiam materia, est principium & causa passiva motus & quietis, quando autem Aristot. 5. Metaph. c. 4. dicit Materiam metaphoricè dici Naturam, per ly metaphoricè, intelligit analogicè & proportionaliter, ac cum quadam inæqualitate naturam, unde etiam 2. Physic. tex. 11. Formam magis vocat Naturam, quàm materiam, imò etiam respectu motum contrariorum formæ, est materia natura, non quidem in quantum est determinata ad hanc formam, sed in quantum est subiectum primum.

RATIO secundæ partis est. Tum quia ita censet Aristot. 8. Physic. à tex. 27. & 2. Physic. tex. 7. 12. 80. & lib. de Partibus Animal. cap. 1. Tum quia tota definitio motus illis competit, & licet Aristoteles 9. Metaph. tex. 1. & 1. cæli tex. 9. dicit, Naturam esse determinatam ad unum motum, cum tamen formæ non sint determinatæ ad unum motum, hoc ita intelligendum, quod scilicet corpora simplicia sint determinata ad unum motum, & ita ignis, est determinatus nonnisi ad motum sursum, sed non asserit, quamcunque esse naturam determinatam nonnisi ad unum motum. Consequenter motus progressivus, quem principiat etiam ad defatigationem animæ, est naturalis animæ, licet sit violentus prædominanti elemento terræ, & consumat spiritus vitales. Formæ tamen cor-

lorum licet respectu perfectionum, quas emanant sint naturæ, non tamen respectu motus circularis, quia ad illum producendum non inclinant.

RATIO tertiæ partis est, auctoritas Aristot. 2. Physic. tex. 12. *Quod autem, inquit, ex his, hoc est materia & forma, sed est & constat naturæ, ut homo?* Quod ipsum definitio motus indicat, quia composito non convenit esse principium motus, in quo est, nam ipsum compositum est, in quo sunt reliqua, & non est in alio, estque compositum principium motum non radicale, sed tantum subiectum denominationis. In oppositum citandæ auctoritates explicandæ sunt, quod per naturam intelligat ipsum compositum ex naturis, vel quidditatem illius principalem.

ASSERO 3. *Non posse demonstrari dari Naturam.*

RATIO, docet id Aristot. 2. Physic. tex. 6. Nul- lum ad id haberi potest medium. Si enim aliquid esset, esset motus, per hunc non potest demonstrari Natura, datur enim motus violentus & ab extrinseco, motus autem ab intrinseco non est notior ipsa naturæ. Ad eum planè modum, quo non potest ignis demonstrari per calorem ab igne productum. Licet enim per effectum possit demonstrari causa, id tamen tunc fit, quando effectus demonstrans, dum assumitur, tanquam medium demonstrationis, non involvit ipsammet causam, motus autem ab intrinseco involvit ipsammet Naturam.

Porrò, quando nego demonstrari posse naturam, loquor de demonstratione probante, quod existat natura, consequenter definitio, non potest esse medium aptum ad hanc demonstrationem, nam definitio est notior in ratione conceptus formandi, sed non notior in ratione existentia.

DICES Aristoteles demonstravit tria rerum principia, adeoque materiam & formam esse naturas, & quod sint Principia motus, & quietis. Ergo demonstrari potest dari naturam.

RESPONDETUR. Indubiè non fuisse oblitum Aristotelem quod demonstrarit dari materiam & formam, & tamen dicto loco sic habet. *Quid igitur est natura, dictum est, & quid quod à natura, & secundum naturam, quod autem sit natura tentare, demonstrare, ridiculum est, manifestum enim est, quod huiusmodi Entia sunt multa, demonstrare autem manifesta per immanifesta, non potentis judicare est, quod per seipsum & non per seipsum notum est.* Hinc licet demonstrarit dari materiam demonstravit dari naturam, specificè acceptam, motum item & quietem specificum, non autem dari naturam ut sic, sub conceptu naturæ. Et sicut ex eo, quod demonstrarit Aristoteles, tria dari principia non sequitur demonstrasse illum, quod privatio sit natura, ita nec sequitur demonstrasse illum, naturam ut sic.

Quod attinet ad artem.

ASSERO 1. In 6. Metaph. c. 4. *Artem esse habitum cum recta ratione factivum circa ea, quae esse possunt & non esse, quorum principium est in eo, qui facit, non in eo, quod efficitur*, de hac definitione videantur dicta; An Logica sit Ars

ASSERO 2. *Formam artificiatam in re loquendo nihil aliud esse, nisi ipsum corpus sic, vel ita, figuratum*. Hoc assertum illustratur & propugnatur, ex Materia de Connotatis, consequenter dico, casu quo, sicut corpus Christi collocatum est in Eucharistia indivisibiliter, ita collocaretur & pictura, tunc illa pictura non haberet quidem figuram situalem, hoc est, non haberet ubi circumscriptivè ad locum, haberet tamen eandem figuram artificialem in ordine ad locum definitivè occupandum.

ASSERO 3. *Artem non posse per se loquendo moli-ri opera naturae*.

RATIO, non potest aliud dare ars, quam formam artificialem, alias extra suum objectum procederet, quod si non potest dare, nisi formam artificialem, non potest indere intrinseca, forma artificialis non est aliud in re, nisi corpus ita figuratum, figura autem, est ipsa quantitas ita, vel sic terminata, quantitas autem ipsa de se non est operativa, proprietas enim sequitur conditionem ejus cujus, est proprietas, quantitas autem est proprietas, quantitas autem est

proprietas materiae, materia autem nihil agit.

Non nego tamen, quod figura & artificium, multum faciat per modum dispositionis ad aliqua opera naturae, & ita figura pyramidalis, juvat descensum deorsum. Non nego rursus, quod applicando per artem activa passivis, multum fieri possit, sed tamen tunc ista referenda erunt primario in ipsa naturalia, in artem autem non nisi tanquam in applicantem, & ita sanitas causatur à medicina, applicando activa passivis, quae primario reducenda est in ipsum temperamentum nocivis subtractis, reducens se in pristinum: hinc applicando activa passivis etiam animalia imperfectiora produci possunt. Idem sentiendum puto de productione auri, neque excedit scientiam humanam, quod temperamentum qualitarum requiratur ad aurum, experimento est medietas clavi aurei, & alia ferrei, quae visitur Florentiae. Et certe, sicut ignis, qui est inter elementa praestantissimus variis modis generatur, cur non & aurum? Quando autem prohibetur ab Ecclesia alchimia, prohibetur tanquam difficilis & perniciofa propter expensas, & ne detur adulterino auro locus, sed non prohibetur tanquam impossibilis, saltemque hoc artificium Angeli norunt, cur ergo illud Deo annuente, non possent hominibus communicare?

